CHRISTIANI ADOLPHI KLOTZII

RIDICVLA LITTERARIA.

Odi profanum vulgus et arceo. *Horat.*

ALTENBVRGI

EX OFFICINA RICHTERIA

CIƆIƆCCLXII.

PRAEFATIO.

Quod pleriqueſcriptoresfaciunt, quos libellum aliquem edituros plaudere ſuo ingenio, in ſinu gaudere, atque hunc ſuum filiolum, non formoſiſſimum ſaepe, multis fortunae gratiis actis multiſque votis pro illius ſalute ſuſceptis, proferre, nec ſine ambitu atque precibus omnibus, qui vbique ſunt, commendare videmus; illud a me neque poſſe neque debere hoc tempore fieri intelligo. Inuitus enim et fere iratus, eodemque animo, quo pater filium, quem nominis gloriaeque ſtudio

 abreptum,

abreptum, ſemper arma et caſtra in ore habentem atque etiam in ſomno caeſos a ſe hoſtes truncataque capite corpora cernentem, diu vi, precibus, minis retinere ſtuduit; cuique fruſtra vulnerum dolorem, aeſtus et frigoris moleſtiam et tribunorum ſaeuientes in tergora miſerorum manus centumque alia horrida dictu commemorauit, tandem e ſuo complexu dimittit; ego quoque nunc non tam emitto hanc impiam prolem, quam extrudo aedibus, et eiicio. Auolet igitur miſellus liber: teratur hominum manibus: notetur: configatur: conſcindatur etiam ab iis, qui ridere quenquam nefas exiſtiment: audiat inſulſus, inficetus,

tui, peſſimus libellus. Neque dolebo ſortem miſeri, neque defendam eum. Sed vt tu, mi lector, de animo conſilioque meo iudicare poſſis, paullo longius exordium rei demonſtrandae repetam. Praedico autem, ante denuncio, moneo, vt quicunque ſibi culpae alicuius malaeque erga me voluntatis conſcius ſit, hic ſubſiſtat, librum abiiciat, et quauis alia re, quam lectione huius praefationis tempus fallere malit. Dicentur enim a me quaedam, quae vtinam reticere poſſem! ſed ſunt ea dicenda, quae non iucundiſſima fore certis hominibus praeuideo.

Iam primum fatebor, quod quidam audire nolunt, ſed quod nunquam ne-

gaui multique iam ſciunt, me eſſe auctorem duorum librorum, quorum alter Mores Eruditorum, *alter* Genius Seculi *inſcriptus eſt. Hos ſi a me nullo alio animo conſcriptos eſſe dixero, quam bono, candido et amantiſſimo litterarum, quarum dedecora neque potui ferre, neque ſilere, et quarum ingenuam et pulchram faciem profanis quorundam moribus maculari dolebam et indignabar: ridebunt quidem maleuoli homines et maligni, amici vero mei omneſque, qui me norunt, nihil verius dici poſſe fatebuntur. Edito illo libello commouiſſe me homines quoſdam, atque concitaſſe in me iniquam inuidiam, non ſine admira-*

tione

tione animaduerti. Primum quidem, cum eſſent, qui illius libelli auctorem cel. Plattnerum *dicerent, hic ſtatim non ſolum ſe purgauit de hoc crimine, (nam ſic exiſtimabat) ſed paullo etiam durius de me dixit. Cui neque tum aliquid reſpondi, neque nunc, licet hoc me iure quodam meo facere poſſe putem, aliud quidquam repono, quam quod Cicero in Philippica II. dicit:* At etiam quodam loco facetus eſſe voluiſti. Quam id, dii boni, non decebat! *Deinde chartaceus quidam Iupiter, qui Hamburgi de re litteraria nouiſque libris ſententiam ſuam dicit, atra dextra miſerum libellum iaculatus eſt, iis, vt tum mihi per-*

ſuadere cupiebant quidam, ſuggerentibus tela et fulmina, quos nemo ignorat. Sed mitto hanc cohortem, cum Apollini et Muſis, tum mihi ignotam, atque in angulis ſubtiliſſimas diſputationes exercere iubeo. Denique etiam contra me prodiit Somnium, *cuius auctorem non aptiſſimum fuiſſe ad iocandum, Latinarum elegantiarum omnino imperitum, et improbum bonorum virorum irriſorem, non opus eſt, vt pluribus oſtendam, praeſertim cum iudicium meum de inimico mihi homine non ſatis habere auctoritatis alicui videri poſſit. Sed fuerunt tum multi, qui ita ſentirent, ſibique perlecto* SOMNIO *illo in*

mentem

mentem veniſſe narrarent mihi, quod eſt in prouerbio: abi in cellam tuam et ſomnia melius. *Conſtitueram quidem punire hominem, qui hoc operam dediſſe videbatur, vt maculis meae vitae integritatem adſpergeret, atque propulſare tam atrocem iniuriam. Verum cum audirem, auctorem* Somnii *eſſe hominem quendam, tum Lipſiae ſtudiorum cauſſa commorantem, nunc ludimagiſtrum neſcio in quo angulo, eundemque pauperem et miſerum, nolui ſiue hunc honorem habere terrae filio, ſiue miſelli famae et ſaluti officere. Videbam enim, mihi multa dicenda eſſe de turpitudine vitae, de agreſtibus moribus, de malis, quas homo*

prae ſe ferebat quaſque ipſa parum liberalis facies indicare videbatur, de ſanctiſſimae noſtrae religionis doctrina opinionibus. Quare peperci iſti. Praeterea fuerunt alii, qui ſe iſtis libellis laeſos eſſe crederent atque variis modis teſtarentur. Quos tamen omnes facile mecum in gratiam redituros eſſe exiſtimo, ſi me ipſum, quam alios acutos, ſi dIs placet, verborum meorum interpretes audire malint. Fortaſſe multis permirum videbitur, quod dicam, ſed veriſſimum tamen eſt. Saepe audiui homines, me inuito ingenioſos, in libellis meis viros doctos laudatos dicam an vituperatos? inueniſſe, de quibus nunquam cogitaueram.

gitaueram, quorum alios magni faciebam, alios plane ignorabam. Quos, poſteaquam rem expoſui, ipſos mirari memini, quomodo ſibi in mentem venire potuerit, illa ſic interpretari. Atque hic etiam occurrendum mihi eſt quorundam ſermonibus, qui mihi Lipſiae ob illos libellos neſcio quas moleſtias adlatas eſſe nugantur, quaſi ego non alias ob cauſas Ienam atque inprimis ideo, vt virum omni virtutum genere excellentem Io. Ern. Imman. Walchium *ſalutarem, diſceſſerim. Parum profecto hi ſe cognitos habere oſtendunt Lipſienſium mores et elegantiam, qui ſi dicendi libertatem, ſi facetias, ſi lepores et iocos eiiciant*

moenibus

moenibus ſuis, vereor, ne omnis vrbanitas et elegantia, quae illius vrbis propria eſt, ſenſim euaneſcat. Sed bene habet. Licet licebitque ſemper in illa vrbe ea dicendi libertate perfrui, quam et humanitas poſtulat et leges permittunt. Lubentiſſime igitur profiteor, ſtulte mentiri, quicunque Lipſienſes ob illos Mores *mihi moleſtiam exhibuiſſe dicant, atque in hanc rem totam Academiam teſtem cito. Quid? quod fuerunt in Vrbe illa, quibus libros meos probari facile intelligere potui, e quibus virum praeſtantiſſimum et optimum patronum meum,* Carol. Ferdin. Hommelium, *qui vnus eſt mihi pro centum millibus, honoris*

noris cauſſa nomino, cuiuſque Litteraturam Iuris, *at quam elegantem Iupiter! quam eruditum librum! teſtor (v. p. 333.) Neque Lipſiae ſolum, ſed aliis quoque in vrbibus, atque, vt libere dicam, in aulis principum, qui ſibi libertatem meam non diſplicere teſtarentur, inuenti ſunt. Denique ſunt in omnium manibus, eruditorum hominum, quae Berolini editae ſunt, epiſtolae, in quibus tam honorifice, tam eleganter de meis libellis iudicauerint, vt, vtrum magis tributis mihi laudibus an eleganti, qua tribuuntur, ratione delectari debeam, ignorem.*

Quam-

Quamuis igitur nulla cauſa ſit, cur me poenitere debeat libellorum iſtorum; atque etſi meam cauſſam aequis iudicibus et viris doctis facile probauerim, nolim tamen, eos edidiſſem vnquam. Abalienaſſe enim a me intelligo me, licet nulla mea culpa, hominum quorundam animos, quos, vt ſemper omnes bonos mihi beneuolos quam infenſos eſſe malui, et amicos habere cupio, et longe aliter de me iudicaturos eſſe certiſſime mihi perſuaſi, ſi miſſis odii amoriſque cauſis et ſine partium ſtudio rem examinare atque liberales et dignas ingenuo homine facetias a nigris ſalibus diſtinguere incipiant. Verum ita ſe res habet.

bet. Multi, alias viri boni, vbi audiunt ex aliis, libellos iſtos habere Satyras, monſtri horrendi ſpeciem ſibi fingunt, eoſque, licet nondum a ſe lectos, malos tamen, et Stygio veneno infectos eſſe queruntur. Quos vt tandem ipſi illas ſatyras (appellabo, quoniam ita volunt, hoc nomine libellos iſtos) legant, orarem, niſi vererer, ne plus precibus meis valeret vis ſemel conceptae animo et inueteratae opinionis. Memini me legere, Peripateticum quendam tubum, quem vocant, Aſtronomicum ideo noluiſſe inſpicere, ne fateri cogeretur, nouas et ignotas Ariſtoteli, cuius erat iſte maxi-

mus

mus cultor, ſtellas obſeruaſſe Galilaeum a Galilaeis. Vtinam vero res adhuc integra eſſet! Hercle! clanculum potius irriderem ineptos hominum mores, quos, aut imitari aut non noſſe et ſapientia eſt et felicitas hoc ſeculo. Sed tum admodum iuuenis eram: nondum perſpexeram ſatis hominum voluntates: laudis etiam, vt fit, eram cupidior, cuius cupiditatis neque me neque quenquam alium facile pudebit. Quae facta ſunt, nequeunt mutari.

Cur igitur, dixerit aliquis, hunc libellum edis? quidni flammis tradis nocituras tibi atque inuiſas, vt ais, chartas?

Vellem

Vellem liceret! Quidni? Omnia audies, mi lector. Conſcripſi, ſi quando otium fuit, complures Satyras, quarum multas olim Vulcano dicaui, alias cum amicis communicaui, qui eſſe aliquid meas nugas putant. Horum fuerunt quidam, qui, quae illis tantummodo mihique ſcripſeram, pluribus ſcripta fuiſſe crederent, certe ſcripta eſſe cuperent, meaſque chartas edere pararent. Cum vero longe aliud ſit, cum amicis familiariter confabulari, aliud palam hominum ſtultitiam irridere, me nullo alio modo meae ſaluti, tranquillitati, famaeque meae conſulere poſſe cenſui, quam ſi ipſe,

quae probarem, ederem, atque ſimul profiterer, me, quaecunque poſthac, tanquam mea, aliquis ſit editurus, agniturum eſſe nunquam. Conſtitui enim mecum, quod vtinam ex alta turri denuntiare poſſem, nullas edere poſthac vnquam Satyras, atque hanc meam profeſſionem ſancti iurisiurandi vim habere volo iubeoque. Quare non ſolum eum, qui quidquam meo nomine ediderit, inimicum, ſed eum quoque, qui aliorum Satyras, id quod iam accidit, mihi tribuerit, malignum hominem exiſtimabo. Huc tamen nolo, mi lector, referas ea, quae mihi fortaſſe contra eruditos

eruditos quoſdam, atque inprimis BVR-MANNVM PARVVM, — SE-CVNDVM *volebam ſcribere, ſemper hic erro, ſcribenda fuerint, quae licet inuitus edam, edam tamen coactus illorum importunitate. Illud dixi: me nunquam tales Satyras, quales his tribus libellis continentur, eſſe editurum. Praeterea etiam conſtitui, amicitiam cum Muſis, licet non repente diſcindere, tamen ſenſim diſſuere, quod meum conſilium, qui et rerum mearum conditionem et huius aetatis elegantiam et humanitatis litterarum faſtidium nouerint, non vituperaturos*

eſſe credo. Vale, mi lector, et ſi tibi delectationem aliquam attulerim, plaude.

Scripſ. Ienae, d. XXII. *Maii,*

a. C. cIↄIↄ CC LXII.

I. LAVS

I.

LAVS METAPHYSICES

IN CONSESSV

METAPHYSICORVM RECITANDA.

Si ego vnquam optaui, vt res, de quibus dicere conſtituerim, oratione cum copioſe explicarem, tum illuſtrarem magnifice atque laudarem, ſi precatus ſum a diis immortalibus, quos litterarum noſtrarum curam gerere aetas maiorum credidit, vt vbertatem orationis, grauitatem et ſplendorem ſententiarum, optimorum et ornatiſſimorum verborum flumen, et e quo maxime de eloquentia iudicari audiui, canoram vocem et, quas eleganter comploderem, manus ſatis robuſtas concederent, ſi vnquam auditores demiſſe et flebiliter oraui, vt ignoſcerent meae in dicendo infantiae et benigne de me iudicarent, id quod, quoniam mos eſt hic oratorum, feci; illud ego

nunc, rem omnium praeclariſſimam laudaturus, vehementiſſime opto, precor et ſerio oro. Magnum aliquid fuit et arduum, fateor, ciconiam, ſcabiem, ebrietatem, lutum, ſcarabaeum, aſinum laudare: ſcopuloſo et difficili in loco verſatus eſt *Heinſius*, homo ingenioſiſſimus, laudes pediculi enarraturus: non nego: idem tamen etiam praeclare intelligo, difficillimum eſſe, rem venerabilem et prope diuinam, Metaphyſicen, ornare, atque hoc negotium non dico oratoris, ſed prope hominis vires ſuperare. Quae enim res, ſi genus ſpectes et originem, Metaphyſice nobilior? quae, ſi vtilitatem conſideres, vtilior? quae praeſtantior? quae res plures cultores habuit? quis regum latius regnauit? cuius imperium ſeuerius fuit atque vna ſuauius? Quid igi-

tur

tur agam? quo me vertam? cuius numen implorem? Tuum profecto, diuina Metaphyſice, quae toties pacem diſiecisti et vnanimes fratres in praelia armauiſti, quae tot hominibus animum intrepidum, fortem et cedere neſcium inſpirauiſti, quae homines alias non diſertiſſimos, tuo adflatu loquaces, verboſos et garrulos reddidiſti. Tu mihi animum addes: tu verba, quibus laudes tuas commemorem, ſuggeres, ſi memoria forte defecerit: tu denique, ſi quis contradicat mihi aut de re veriſſima dubitet, me, timidiuſculum hominem, excitabis, atque ſi mihi, quibus aduerſarios confecter, conuicia deſint, aut, ſi mauis, facetiae et lepores, quibus filii tui abundant, me ea docebis. Bene habet. Annuere videtur blandis oculis dea. Audacter igitur,

 non

non magis voluntate, quam ſpe rem eximiam perficiundi ductus, maximum negotium ſuſcipiam. Vos nunc, Auditores, arrigite ſapientiſſimas aures, et, ſi me omnium difficillimam eandemque nobiliſſimam rem bene egiſſe intellexeritis, Delphica lauru capillos meos redimite.

Primum ſaepius in rhetorum ſcholis audiui, initia orationum a genere capeſſenda, illudque tanquam antiquiſſimum, ſplendidiſſimum et nobiliſſimum laudandum eſſe. Inde ſaepe ad fabulas confugiunt, veris falſa miſcent, et, quod rei deeſt, verborum copia et ornamentis ſarcire conantur. Me vero beatum et felicem, qui originem et genus Metaphyſices neque attenuare poſſim verborum humilitate, neque orationis ſplendore augere debeam. Simplici

et

et tenui dicendi genere vtar. Non ignoratis potentiſſimam omnium deam eſſe Eridem, eamque non ſolum multa imperia euertiſſe, ſed etiam in litteraria republica maximas ſaepe turbas excitaſſe. Quo enim alio numine accidiſſe dicamus, vt non raro decolores atramento et ſpumantes fluuii diſcerptos calamos, diſciſſas chartas, et grandes librorum libellorumque moles in oceanum voluant? Tenet tenebitque ſemper haec dea imperium in orbe litterario, et ſuo arbitrio vel componet vel excitabit tumultus. Sed quid attinet plura de dea dicere, quam Vos omnes, Viri fortiſſimi, noſtis, cuius vim et numen experti eſtis, quam etiam iure veneramini. Hanc igitur Eridem aiunt, perfecto illo fatali pomo, etiam atque etiam ſecum deliberaſſe, quid

tandem procrearet, quod ſui ſimillimum, aeternum et iucundum foret. Tres dies noctesque illam ſeſe ſyluis abdidiſſe et conſilia de re maximi momenti agitaſſe addunt. Secundo die terribilem cometen coelo arſiſſe, eumque magnarum rerum praenuncium omnibus fuiſſe viſum. Eadem etiam nocte Eridem in ſyluam Plutonem, Martem, Mercurium et Harpyias vocaſſe ibique deorum habuiſſe conſilium. Tertio demum die prodiiſſe aliquid, quod Metaphyſicen appellaſſent, et cui quiſque deorum ſummas virtutes addidiſſet. Audiuiſtis Metaphyſicen genus ſuum a deis ducere? audiuiſtis non vnum, ſed plures deos in ea re componenda elaboraſſe, quae omnium ſeculorum admiratione digna foret? Nolite (video enim aliquos frontem corrugare,) ſed

nolite

nolite de rei veritate dubitare. Niſi verum hoc eſſet, hercle! ego non dixiſſem.

Atque etiam non humani ingenii opus Metaphyſicen eſſe, ex infinito eorum, quos cultores ſuae maieſtatis habet, numero intelligi poteſt. Percurrite animo omnes omnium ordinum homines doctos, et neminem, praeter paucos, qui tamen iure contemnendi atque nullo habendi ſunt numero, illius imperium detrectare videbitis. Ecce Theologi, qui, cum Graecarum et Latinarum litterarum, antiquitatis et critices ſtudium nimis moleſtum ſit, bene et ſapienter Metaphyſices auxilio inſtructi ad interpretandos ſacros libros accedant. Non enim eos audiendos eſſe puto, qui hac via Theologiam ſcholaſticam iterum e tenebris, in quibus proh dolor! nimis diu latuit, in

lucem proferri dicant. Ipſa etiam paucitas eorum, qui his Grammaticis obtemperent eoſque ſequantur, ſatis oſtendit, falſiſſima eſſe, quae doceant, atque iſtos fruſtra Theologiam a Metaphyſice noſtra ſeiungere conari. Ecce Iuriſconſulti, qui, licet nemo facile aliquid in receptis vbique omnibuſque probatis rebus mutandum eſſe cenſeat, licet maxima iuris pars non neceſſariis rationibus nitatur, ſed ex variis caſibus orta ſit, licet Iuriſprudentia ipſa reluctari videatur et repugnare, hanc tamen ſapientiores Iuſtiniano et Triboniano homines ad ſubtilitatem Philoſophicam traduxerunt. Quam acute ſchola Ramiſtica ſingulas iuris materias ad quatuor cauſarum genera retulit! Magnum enim aliquid erat, cauſas *finales*, *formales*, *efficientes*, *materia-*

les

les Pandectis inferre. Noſtis eos, qui mathematica ratione ſingulorum titulorum argumenta tradere coeperunt. Belle vero et acute! Quantae enim artis eſt, re, quae paucis verbis commemorari poterat, totam plagulam implere! quanti ingenii, enecare lectores perpetua et moleſta cantilena! et quam magnifica ſunt vbique adſcripta maiuſculis litteris haec verba: *Corollarium, Problema, Theorema, Scholion, Poſtulatum.* Vnde vero haec doctiſſimis viris in mentem veniſſent, niſi iuuenes ſtudio Metaphyſices fuiſſent dediti, cuius amorem neque ſenes animo dimittere potuerunt? Venio ad poetas et oratores, quos, etſi multi neque fideliſſimos neque conſtantiſſimos exiſtiment, Metaphyſicae tamen lubenter obtemperare animaduertimus. Hinc in carminibus et

oratio-

orationibus ſuis verba, quae huius deae propria ſunt, ponunt: hinc ſcripta ſua ad illius praecepta componunt et exigunt. Et quis reprehendat aut vituperet? Nihil ſtultius audiui aut legi vnquam voce illa inepta *Eraſmi*, qui cum per contemtum poeta a quibuſdam vocaretur, ſe longe ab iſta laude abeſſe, reſpondit: pluris enim vnum tolerabilem poetam quam vel decem philoſophaſtros eſſe. O indignum facinus! Vbi tibi mens fuit, improbe *Eraſme*, cum hoc diceres? Et tibi ſtatuam Batauos poſuiſſe? ſed reprimam me. Sentio enim, me in hominum modeſtiſſimorum conuentu dicere.

Satis mihi videor de poteſtate et imperio Metaphyſices dixiſſe. Tranſeo ad vtilitatem. Atque hic quidem centum ora et centum linguas mihi opto. Tanta ſe mihi

laudum

laudum copia, tanta praeclariſſimarum rerum ſeges offert. Sed cum infinitum foret, omnia enumerare, praecipua tantummodo delibabo. Primum igitur mihi perſuaſi, nihil eſſe vtilius, quam quod ſomnolentiam hominibus excutiat, eoſque minime deſides eſſe patiatur, quod viris fortibus occaſionem praebeat, virtutem animi palam oſtendendi, quod nos ſemper vigiles, ſtrenuos et fortes eſſe iubeat. Iam Metaphyſice non minores heroas, quam bellum atrociſſimum, praeſtat. Nam ſi fortaſſe quidam a ſe inuicem diſſentiunt, ſuumque diſſenſum profitentur, quid tum fieri videmus? Tum vero exardent irae, tuba ſignum datur, concurritur, neuter loco recedit. Non menſis ſufficeret ad omnes pugnas, in ampliſſimo Metaphyſices regno pugnatas,

C comme-

commemorandas. Singuli anni memorabili aliquo praelio inſignes ſunt. Atque tum videre licet, quam forti animo dea milites ſuos inſtruat et in ſummum diſcrimen adducat. Nullus fugam meditatur: nullus, niſi mortuus, pedem referre cogitat: nullus conuiciis iaciendis abſtinet. Haec enim ſunt illa tela, quibus dea filios ſuos armat: haec illa arma, quibus et aduerſariis lethalia vulnera infligunt et ſe defendunt. Hac etiam de cauſa ego ſemper Metaphyſicen praeclariſſimam eloquentiae magiſtram exiſtimaui. Eſt admirabilis quaedam in omnibus, qui illius praeceptis morem gerant, eloquentia: eſt, quoties impetum in aduerſarios faciant, ſingulare verborum flumen et maximus nitor orationis. Verum cum maxima eloquentiae pars et gloria in inuentione

ponatur

ponatur, ad illam Metaphyſice ſuos quaſi manu ducit, omnibuſque rhetoribus et Grammaticis longe antecellit. Quis ignorat, quotidie a vobis, Viri elegantiſſimi, noua verba excogitari atque Latinam linguam vſque ad inuidiam collupletari? Quae tandem et qualia ſunt illa verba? grandia, ſonora, poetica prope libertate audacia. Certe maieſtatem quandam prae ſe ferunt et ſacrum quendam auditoribus horrorem iniiciunt. Delectant, delectant eruditas aures ſuauiſſimae voces: *haecceitas*, *quidditas*, *eſſentialitas*, *futuribilia*, *identitas*, *magnitudo quantitatiua*, *extra ſe inuicem actualia*, *receptiuitas*, *modificatio*. Quid pulchrius his? *perfectio tranſcendentalis*, *inſeparabilitas determinationum*, *compoſſibilia*, *reactio*, *compartes*, *ſeu complementum ad Totum*. Plura

 atque

atque e veſtris libris repetita afferam? non faciam. Vereor enim, ne veſtrae verecundiae, qua vſque ad ſidera noti eſtis, moleſtiam afferam. Apparebit vero ex his, non meliorem eſſe ad eloquentiam, non effoeminatam, exſanguem et humilem, ſed virilem, grauem et magnificam, viam, quam quae pulcherrimis Metaphyſices manibus ſternatur. Cum igitur eloquentia omnium rerum regina audiat, quis de vtilitate Metaphyſices dubitabit? Denique mihi credite, ex nullis metallis tantum auri et argenti redit, quantum e cultu Metaphyſices, qui quo magis viget, eo minus vnquam hominibus pecunia deerit. Copioſius hanc ſententiam explicandam eſſe video. Nullo alio modo conſtat nomen noſtrum immortalitati tradi poſſe tutius, quam typographo-

rum

rum laborioſis manibus. Hi immutabili fati lege famae noſtrae praecones conſtituti ſunt: hi in bellis litterariis eaſdem partes agunt, quas in praeliis tubicines, et qui machinas bellicas in hoſtes dirigunt. Aequum igitur eſt, hos non aliter, quam milites, ſtipendia accipere, et praemia laboris ferre. Horum denique opera pecunia vbique diſſipatur et diffunditur per rempublicam. Alitur primum, qui chartas conficit, alitur, qui glutinum excoquit, alitur, qui atramentum vendit, alitur auriga, qui materiam hanc immortalis monimenti aduehit. Nam et aurigae partem immortalitatis nominis noſtri debemus. Iam quotidie videmus, nullum hominum genus tot bella gerere tantoque ardore, quam Metaphyſicos: non pluribus ſcriptis praela ſudant, quam Metaphyſicis.

Cum pro admirabili magnitudine et conſtantia animorum Veſtrorum nullum diſſenſum ferre poſſitis, ſtatim accendimini ira, et calida manu ſaeuum calamum arripitis. Tum nullus finis ſcriptorum, diſſertationum, obſeruationum, libellorum. Saepius vix currus iis ſcriptis deportandis ſufficit, quae vna tantummodo res, quae imperitis plerumque leuicula videtur, vobis extorſit. Hac ratione locupletatis vrbes, alimenta praebetis tot hominibus, tot viduas alitis, infantes, ciues et ruſticos. O praeclaram Metaphyſices laudem! tu fortiſſima bellatrix, tu elegantiſſima eloquentiae magiſtra, tu tot hominum liberaliſſima nutrix. Sine te homines frigent, imbelles iacent, balbutiunt, obmuteſcunt, eſuriunt.

Sed

Sed occurrendum eſt profecto ſatietati Veſtrae, Viri ſubtiliſſimi, etſi Vos me attente audire videam. Dicenda enim ſunt pauca de iucunditate Metaphyſices, quae quamuis ſentiatur magis quam explicari poſſit, obſcura tamen aut dubia minime eſſe poteſt. Iam Metaphyſicen hac potiſſimum de cauſa plurimum iucunditatis cultoribus ſuis adferre exiſtimo, quoniam paruo temporis ſpatio et facili negotio addiſcitur. Iuuenes certe, poſteaquam vnum annum in Academia commorati ſunt, ſermonem magiſtri chartis fideliter conſignauerunt, memoriaeque quaſi clauo trabali infixerunt, nonne ſibi aliiſque egregii videntur et Philoſophi et Metaphyſici? Si vero iidem duo treſue annos in hoc ſtudio conſumſerunt, quam docti et acuti et ſubtiles ſunt! quanto

ardore magiſtri doctrinam propugnant! quanta fiducia diſputant! quam magnifice alios contemnunt! Nonne iucundum eſt, rem pulcherrimam tam facile conſequi? nonne ſuauiſſimum, eam momento temporis addiſcere? Deinde etiam ideo magnam iucunditatem Metaphyſices ſtudio ineſſe iudico, quoniam quam maxime iuuenum animos allicit nobiſque quaſi emancipat. Suum nomen deponunt, Veſtro ſe exornant idque vſque ad mortem retinent. Nemo veſtrum erit, Viri celeberrimi, qui non multos habeat diſcipulos, qui nomini Veſtro dulciſſimam ſyllabam *anus* addiderit ſeque voluerit appellari talem. Dic tu, optime Maeui, nonne tu intimis ſenſibus afficeris, quoties audis, Maeuianos eſſe? et tibi, acutiſſime Baui, quam iucundum eſt,

ſi

ſi ſe Bauianum aliquis profitetur. Mihi quidem Metaphyſici duces fortiſſimi videntur, qui magnis copiis praeſunt, aciem inſtruunt, militem excitant, et per tela, per enſes, per gladios irrumpere et medio ex igne nunquam interituram gloriam reportare iubent. Miſeret, miſeret me veſtrum, omnium reliquarum artium doctores, oratores et poetae, qui famelico ore atrum panem ex iure heſterno deuoratis, qui ignoti viuatis, ignoti moriamini. Quouſque tandem artibus vobis nil profuturis operam dabitis? quouſque vos bonas horas eorum librorum lectione perdetis, qui a profanis et indoctis hominibus ſcripti ſunt? Quam enim Cicero Metaphyſicen tenuit? ille, qui ſubtiliſſimam illam de *finibus* diſputationem omnino ignorauit; et vos Metaphyſicae

male dicitis? O vos ſceleſtos! vos parricidas! Viget vigebitque diuina Metaphyſice, neque deerunt vnquam homines, qui eam colant, ea ſe oblectent, ei thura accendant, aras ponant, coronas ſuſpendant.

Exegi monimentum aere perennius.

II. DIALO-

II.

DIALOGVS.

Palaemon, *Soſias*, *Dauus*.

P*alaem.* Proh Deûm atque hominum fidem! o benignam mihi fortunam! o beatiſſimum me omnium hominum, qui ſunt, qui fuerunt, qui erunt! Ex omnibus diebus, quos in vita ſuaues et iucundos vidi, hunc longe iucundiſſimum iudico. O dii ſuperi atque inferi, quas vobis gratias agam? vos mihi tantam laetitiam attuliſtis. Nihil vos ardentius oro, quam vt hanc laetitiam perpetuam eſſe iubeatis.

Soſ. Quid iſtuc rei eſt? Satiſne ſanus hic homo? Filium, credo, ei hodie vxor pe-

perit.

perit. Sed alloquar illum. Salue, vir doctiſſime.

Pal. O diem feſtum et ſanctiorem mihi natali meo! Illi vitam tantum debeo, huic immortalitatem. Quid enim dicam? Legent profecto non ſine ſumma admiratione poſteri: *primus hoc inuenit vir ſummus, Palaemon.* Quas vero tum laudes addent? Laudabunt ingenii mei acumen, vaſtas celebrabunt eruditionis copias: elegantiam atque ſubtilitatem libri mei laudibus ad coelum tollent. Nunc ita me deus amet! aequo animo moriar. Perennius aere mihi monimentum poſui. Quid morer in his terris amplius? O Iupiter, o Minerua, tuque omnium diuitiarum cuſtos, Mercuri, vobis immortales gratias ago: vobis tantum theſaurum acceptum refero.

Soſ.

Soſ. Inſanit aut ſomniat homo. Salue, inquam, vir docte.

Pal. Quis me vult? Hem! *vir docte?* non audio. non maioris me hunc homuncionem facere? nullum a me reſponſum feret.

Soſ. Salue igitur vir excellentiſſime et illuſtris.

Pal. Hui! iam dulcius canit. *Vir excellentiſſime?* non ſatis dignitatis huic verbo ineſt. Egone me excellentiſſimum tantum appellari patiar? eo nomine contentus ſim, quod quiuis ludimagiſter a diſcipulis quotidie audit?

Soſ. Salue tertium, vir diuine, eruditorum Phoenix, in coelo litterario primae magnitudinis ſplendidiſſimum ſidus, aquila inter eruditos, leo et chamaeleon.

Pal.

Pal. Sapit hercle! hic homo. Tu quoque ſalue. Ideo huc venis, vt me venereris? Promereor etiam, ſi quis alius, omnium doctorum hominum cultum.

Soſ. Quare etiam hunc tibi lubenter habemus, eundemque tibi habebit omnis poſteritas.

Pal. Iocaris. raro poſteritas grata eſt. Vt vt eſt, eorum, qui hac aetate eruditionis et ingenii fama conſpicui ſint, me principem eſſe dico. Plura dicerem, neque mentirer profecto. Sed noſti meam in dicendo moderationem modeſtiamque. Nihil mihi arrogo, cuiuis plura tribuo. Apud poſteros iudicium eſto.

Soſ. Omnia recte dixiſti. Saepe nimiam tuam modeſtiam miratus ſum. Ex vultu

vero

vero tuo coniicio neſcio quam fortunam tibi hodie obtigiſſe.

Pal. E vultu meo? Quid negem? plurimum ſemper doctrinae atque ſuauitatis meae ad ſalutem et voluptatem aliorum impertio. Dico igitur diis meam eruditionem cordi eſſe, eoſque omnibus modis inſeruire meis commodis.

Soſ. Non miror. *Faunus Mercurialium cuſtos virorum.*

Pal. Bene memini. Ex Horatio hic verſus eſt petitus. Scito enim, etiam nos in tutela Mercurii eſſe.

Soſ. Nollem idem cum furibus numen haberetis, ſed perge.

Pal. Vocatur vero quaſi Medicurrius, ſiue medius currens inter homines, de cuius nominis origine proxime doctiſſimum libellum edam. Matrem habet Mercurius Maiam, vnde etiam Maiugena dicitur. O pulchrum verbum! nonne maieſtas eſt magna verbi: Maiugena. Ite nunc, o ſtultiſſima capita! et prae vernaculo ſermone Romanum contemnite! Vocatur etiam Mercurius Cyllenius. Scin' cauſam?

Soſ. Non vacat nunc multa de Mercurio audire. Properare dum mihi hinc eſt ad forum. Fortunam tuam commemorare volebas.

Pal. Recte mones. Verum ita eſt. Erumpere ſemper multo ſtudio collecta eruditio geſtit, quam tu tantam in me eſſe tibi perſuadebis,

ſuadebis, vt prope nequeat pectore contineri. Deos igitur dico in me exemplum clementiae ſuae edidiſſe.

Soſ. O factum bene!

Pal. Quod per tot ſecula tenebris ſepultum iacuit, a me primo nunc in lucem producitur. Peruenit in manus meas, di vobis ſit gratia! theſaurus, quem neque Craſſi diuitiis permutare velim.

Soſ. Profecto tu is es, quem dei diligunt.

Pal. Parabo mihi immortalem gloriam et nunquam intermorituram famam hoc myſterio euulgato. Meum ſenſum libere exponam? Inaurata me ſtatua dignum iudico.

Soſ. Non hercle! intelligo. Aperte volo, quae reſtant, te loqui.

Pal. Accede igitur. Oſtendam tibi rem, quam nunquam tuis oculis vidiſti, neque videbis vnquam. Ad meum ſenſum et ad illud ſincerum et ſubtile iudicium, quod omnes in me admirantur, nullam adſpicies, quoad vixeris, aut pulchriorem rem aut auguſtiorem.

Soſ. Probe narras.

Pal. Euoluam ſtatim theſaurum meum linteis, quibus eum ſumma cum diligentia inuolui, integumentis. Ecce tibi — o veneranda antiquitas! ecce — o te dementem! bene operto capite adſtare? O impudentiam inſignem!

Soſ. Ignoſce mihi ſacro quodam horrore perfuſo. Iam detraxi pileum capite.

Pal. Vides hanc teſtam? cuius vaſis fragmentum eſſe cenſes?

Soſ. Ollae beatae auiae tuae.

Pal. Ha! ha! ha! miſeret me tui, vir bone. Neque enim tua haec culpa eſt, quod rem omnium pulcherrimam non agnoſcis. Nobis quidem natura oculos dedit ab aliorum oculis longe diuerſos. Inde nos myſteria, hiſtorias, elegantias conſpicimus, vbi alios ſe nihil admodum videre iurant. Per multos vos miſeri lapides ambulatis auro pretioſiores. nec mirum. Humanis videtis oculis, nos lynceis praediti ſumus. Haec teſta eſt fragmentum vaſis figlini, Romae antiquiſſimis temporibus facti. Vide pulchrum colorem! vide laeuitatem! noſtro tempore quis audeat tale vas proferre? Ro-

mae, Romae a peritiſſimo artifice illud effictum fuit. Videſne litteras CI . . . ? Quid aliud his indicatur, quam Ciceronem fuiſſe vaſis poſſeſſorem? Nonne rem acu tetigi? quid cenſes?

Soſ. Neſcio, vir ſumme, prae admiratione, quis ſim aut vbi ſim. Nihil enim vnquam acutius ſapientiuſque audiui.

Pal. Tum vero demum ſapientiam meam miraberis, ſi prodierint libri, quos de hac teſta proxime ſcribam.

Soſ. Mira narras. librum ſcribes?

Pal. Immo vero libros. Digna enim haec eſt res, quae copioſiſſime explicetur et illuſtretur. Quare etiam conſtitui decem volumina edere.

Soſ. Quomodo vero tu diſputatiuncula de tantilla teſta tot volumina implebis? Vix videris, quod promittis, praeſtaturus. Si de fragmento vaſis te tot volumina ſcripturum eſſe ſperas, quot tandem, ſi vas integrum eſſet, acciperemus.

Pal. Ignoras, mi homo, ingenia noſtra et diuinam, qua valemus, eloquentiam. Alii de re magna pauca, nos de parua plurima verba facimus. Et quid dubitas? narrabo vero, quae ſit ratio ordinis et diſponendarum rerum futura. In *primo* igitur volumine de vaſis exponam. Dicam de vaſis Samiis, Corinthiis, Deliacis, murreis et murrinis. In *altero* explicabitur difficillima quaeſtio: e qua materia hoc vas conflatum ſit? Multis vero argumentis docebo, refe-

rendum hoc vas eſſe ad illa, quae murrea veteres dixerunt. In *tertio* de artifice diſputabo, qui hoc vas effinxerit, quem, quoniam ignoro, multa proferam eaque minime contemnenda de figulis, de figlina, creta, de fornacibus, de rota, omnia ex antiquiſſimis temporibus repetita. Hoc volumen multis imaginibus exornabitur. In *quarto* in poſſeſſorem huius vaſis inquiram, quem cum M. Tullium Ciceronem fuiſſe ex litteris inſcriptis clariſſime appareat (bardus enim ſit, ſtipes, caudex, aſinus, qui hoc non fateatur) vitam Ciceronis commemorabo. *Quintum* volumen praeclariſſimum erit. Nam quaecunque de variis vaſorum domeſticorum generibus veteres atque recentiores memoriae prodiderint, illud continebit. Inde in *ſexto* oſtendam, hanc te-

ſtam

ſtam eſſe matulae Ciceronis fragmentum. Quid vero tum in *ſeptimo* aliud agam, quam vt Ciceronem quoque matula vti debuiſſe doceam? Neque nunc omnia perfecta ſunt. Multos enim credo ſcire percupere, quo fato teſta haec in Germaniam translata ſit? Quorum deſiderio vt ſatisfaciam, in *octauo* volumine de Germania antiqua et in *nono* de bellis Romanorum cum Germanis exponam. Suſpicor enim hanc matulam eo tempore, quo illa bella geſta ſunt, in has terras translatam fuiſſe. Hoc *decimi* argumentum erit. Adhuc me inanilogum putas? Strepitu vigere orationem noſtram, flaccere rebus credebas. Sed faciam nunc, vt tuis oculis videas, abundare me doctrina et quadam incredibili varietate rerum copiaque.

Soſ. Miror, miror ingenium tuum, plenum optimis artibus et quod ſolum par eſſe iudico antiquo Romano imperio. Omnes, qui vbique ſunt, viri docti ſi perirent, tu ſolus, quaſi Atlas coelum, ſupercilio tuo litteras ſuſtineres.

Pal. Nunquam, o chare, me ipſum laudare ſoleo. Vera dicis. Ego profecto ſolus —— ſed quid multa? clarum meum nomen eſt, toto orbe celeberrimum atque notiſſimum.

Soſ. Exoſculor, vir ſumme, amabilem tuam modeſtiam. Hoc tamen, niſi graue ſit, exponas mihi velim, quibus e fontibus tu tantam eruditionem haurias, quibuſque opibus inſtructus tu decem conſcribas volumina.

Pal. Videſne illuc multa iſta auratis frontibus volumina? Theſauri vocantur et ſunt

etiam

etiam vere nobis. Ibi vero libros conſpicis, paullo minores illis? Hi ſunt copioſiſſimi rerum et verborum indices. Hinc nos — verum tu nondum initiatus es his myſteriis. Quare tibi ſacra noſtra enunciare nefas exiſtimo.

Soſ. At ipſam teſtam velim curioſius aſpicere. Cedo, ſodes.

Pal. Tune profanis manibus veneranda antiquitatis monimenta tractare cupis? Audaculus hercle! es. Habebis tamen teſtam. Ecquid tibi videtur? nonne ſumma eſt laeuitas vaſis? vix ſpeculum nitidius eſſe puto.

Soſ. Credo, ſi tergas teſtam paullulum linteo, nitidiorem etiam illam fore. Faciam periculum. — O me miſerum! — Vae mihi, ſi maneam —

Pal.

Pal. O teſtam meam! o hominem omnibus diis iratis natum! cur vero ego profano homini teſtam tradidi? Praeſenſit iam animus atque augurauit tantum malum. Hoc mihi profecto bubonem heri infelici cantu praedicere memini. O peſſimum Soſiam! Omnes te dii deaeque perduint! Hic iacet teſta mea: hic iacet decem voluminum argumentum: iacet immortalitas mei nominis. Ah! malignam fortunam, quae nunquam felicitatem noſtram perpetuam eſſe ſinis. Caput ſandalio comminuam turpiſſimo hominum, vbicunque illum inuenerim. O me infelicem! o teſtam meam! o pulcherrimum olim vaſculum!

Dau. Quid clamas, here? cur lacrimaris? quid quereris?

Pal.

Pal. O ſi affuiſſes, Daue! Abiit, exceſſit, euaſit, erupit. Di illum infelicitent omnes! Heu!

Dau. Obſecro te, here, quid eſt, quod tantopere clames? Fureſne fortaſſe adfuerunt? numos tibi abſtulerunt? Dic tandem, vt conſilii aliquid capiamus ex re atque ex tempore.

Pal. Vides hic teſtae manibus ſceleſtis elapſae particulas?

Dau. Video. ſed vnde gemitus hi et miſeri eiulatus?

Pal. Teſtam comminutam adſpice. non poſſum prae dolore plura.

Dau. Non hercle! hero meo ſanum ſinciput eſt. Cur plores et clames, ſcire cupio.

Pal.

Pal. Vt omnia caduca et fragilia ſunt! O teſtam meam! o praeſtantiſſimum opus meum!

Dau. Neſcio, quae hominem intemperiae agant. Niſi ocyus rem narres, abeo.

Pal. Mane, Daue. Noſtin' Soſiam? malo aſtro natus eſt.

Dau. Noui. quid tum?

Pal. Me teſtam hanc — miſere perii. nullus ſum.

Dau. Ad inſaniam me rediges, niſi omnia clare commemoras.

Pal. Soſias teſtam hanc improbis manibus elabi paſſus eſt. Dii immortales!

Dau. Inſanit pol et furit. Quis vero de teſta hac tantas tragoedias excitet?

Pal.

Pal. Dixi. ego ſum miſer et miſere perditus. Haec teſta antiqui Romani vaſis fragmentum fuit.

Dau. In vltimam rabiem furoremque conuerſus eſt. an oculis captus es? Hanc teſtam Romanam eſſe? Nihil vnquam tu aliud, quam Romam tuam, in animo habes.

Pal. Tu vero oculos perdidiſti.

Dau. Serio hanc teſtam Romanam putas, an ludis me?

Pal. O quanta te caligo mentis, quanta veritatis ignorantia exercet! Tune negas, hoc vas Ciceronis fuiſſe?

Dau. Audi, quaeſo. Vidiſtine figlina vaſa, quae ante feneſtras meas conſtituta flores habent? Horum vnum nuper vehementiori vento deturbatum et confractum fuit.

Pal. Fruſtra mentiris, Daue. Hiſce oculis litteras CI inſcriptas vidi.

Dau. Afferam vero tibi reliquas particulas. Iacent fortaſſe adhuc in via. Tunc intelliges, nihil aliud his litteris indicari, quam annum, quo vas effictum fuit. Hae vero CI . . . . ſunt reliquorum numerorum initium.

Pal. Surdo fabulam narras. Abdam me cubiculo meo et moriar.

III.

F A B V L A.

Animalia, quemadmodum homines, olim ratione vſa fuiſſe aiunt. Quid dubitemus, cum etiam homines ſaepe ſic viuant, vt eos nulla ratione praeditos eſſe exiſtimare debeas? Leo igitur eo tempore prudentiſſimum conſilium cepit explorandi, quae ſubiectorum ſuo imperio animalium ad litteras tradendas apta eſſent. Vna igitur cum ſimio, quem in conſilium adhibet, antro exit, varia beſtiarum genera perluſtraturus. Hic primum illis obuius fit Chamaeleon, atque leonis in ſe oculos conuertit. Videt vngues aduncos leo, corpus aſperum, caudam ſe viperinis orbibus implicantem: hianti ſemper ore celſum. E ſimio etiam intelligit, illum nec cibo, nec potu ali: ſolius

aeris alimento vitam ducere: circa caprificos ferum eſſe, alioquin innoxium: colorem corporis ſubinde mutare. Leo his auditis mirari ſecum, cogitare, dextrum pedem naſo applicare, tanquam philoſophus de nexu animi cum corpore meditabundus. Mox Chamaeleonta ephemeridum litterariarum ſcriptorem eſſe iubet. Vix hic diſceſſit, ecce! indomitus et ſaeuus aper magno cum ſtrepitu ſyluis erumpit. Oculi igne ardent: cutis eſt calloſa: dentes attriti cum ſonitu ſpumas emittunt: obeſus praeterea eſt, ſetis hiſpidus, ſquallidus, ore ſaeuo fremere et fulminare videtur. Si leo *Petrum Burmannum Secundum* vidiſſet, hic germanus, dixiſſet, Petrulli frater eſt. Sed nulla mora interpoſita aprum Criticum conſtituit. Paullulum precedens videt, vrſum

cum

cum vulpe familiariter colloqui et de re magna deliberare. Molitur, inquit leo, procul dubio vrſus mali aliquid, et a vulpe, quomodo res agenda ſit, cupit edoceri. Quid faciundum? Hos Iuriſconſultos eſſe iubebimus. Altera aſtuta eſt et ſolers: alter robuſtus et ſapidus. His auditis arctiſſimam amicitiam contrahunt, et paucis horis poſt maxima omnium rerum confuſio et perturbatio conſecuta eſt †. Leo vero vehementer laetari, ſibi pulchre conſilium ſuum procedere, et ſimio, nonne etiam

† Ludou. Viues in L. IV. de cauſſ. corrupt. art. narrat, veniſſe in Pannoniam ICtos aliquot atque ſuae doctrinae copiam feciſſe hominibus. Breui tempore omnia ferbuiſſe litibus, controuerſiis, petitionibus, exceptionibus, comperendinationibus, procraſtinationibus. Vnde regem ſtatim eos finibus regni excedere iuſſiſſe.

Philoſophi nobis quaerendi ſunt? dicere. Nihil, reſpondet, ſapientius in mentem tibi venire potuit. Ecce tibi duo taxos. non male, credo, his illa prouincia mandabitur. Intuetur leo taxum † auidiſſimum mellis animal, aſperum, mordax, in cauernarum tenebris habitans, neque diu cunctatus: tu Philoſophus eſto, inquit. Sed vix pronunciatis his verbis diſputare hic (nam aderant forte duo) vehementer coeperunt, vtrum cauda leonis ad *ſubſtantiam* an ad *eſſentiam* pertineret. Hinc repentina ira accenſi, mox tam ſaeuis ſe inuicem morſibus laeſerunt, vt ſanguis terra flueret. Deinde vterque, quaſi re magna et praeclara geſta, in cauernam abire. Hoc dum ſpectaculo leo delectatur, lento gradu aduenit

hyaena.

† alio nomine *melis* dicitur.

hyaena †. Quale hoc animal eſt? quaerit. Mirificum profecto, ſapientiſſime leo, inquit ſimius. Videſne, quomodo collum et iuba ſpinae continuitate porrigatur, neque ſe, niſi toto corpore circumacto, flectere poſſit? Vides, quot oculis ſint varietates colorumque mutationes? Praeterea ſine mare parit, ſermonem humanum inter paſtorum ſtabula imitatur, nomenque alicuius addiſcit, quem foras euocet et laceret: ad ſollicitandos canes vomitionem hominis aſſimulat, quos deinde inuadat. Vmbrae eius contactu canes obmuteſcunt, omne vero animal, quod ter luſtrauit, in veſtigio haeret. Tum leo: placet mihi indoles et natura animalis. Credo, bene illud poetae partes acturum eſſe. Non multo poſt acce-

† v. Plin. H. N. 8. 30.

dit ſublimis hiatu magno pardus et varietate macularum pictoque corpore ſuperbus. Nullus, inquit leo, hic dubitationi locus. Hic orator erit. Fama huius rei vbicunque diſſipata, aduenit etiam lupus, magnumque prae ſe fert animi candorem, miram modeſtiam —

Caetera deſunt.

IV. DE-

IV.

DESCRIPTIO PHILOSOPHI,

QVI TOTAM VITAM

IGNOTVS ET PAVPER EGIT

ATQVE FAME TANDEM PERIIT.

Modeſtinus (hoc enim nomen erat Philoſopho, cuius ſimilem fortaſſe nulla aetas habebit) ab ineunte aetate optimis artibus operam dedit. Hiſtoriam, eloquentiam, omniaque, quae ad humanitatis ſtudia pertinent, percepit diligenter: oratores et poetas cum veteres, tum recentiores, legit cum ſenſu veri et venuſti. Hac lectione et acuit ingenium et poliuit iudicium, atque etiam illud conſecutus fuit, vt eleganter ſcriberet atque loqueretur. Mores hominum ſedulo attendit, actiones illorum conſiderauit, cauſas perſcrutatus eſt, atque hinc ſibi comparauit rerum vſum. Ita animo bene ſubacto et pectore multarum rerum ſcientia impleto, contulit ſe ad Philoſophiam,

eamque aliis tradere coepit. Philoſophiam vero, non tanquam artificium venale, didicit, ſed vt inſtrumentum emendandorum morum, regendae reipublicae adminiculum, et bene viuendi regulam. Pauca ſcripſit, neque ea ſcripſiſſet, niſi legibus Academiae et conſuetudine coactus, ſemper vero ſumma ope niſus eſt, vt praecepta ſua vitae honeſtate confirmaret, nihil turpius arbitratus iis, qui, vbi cathedra deſcendiſſent, quae modo docuiſſent, ipſi contemnere viderentur. Sententias ſuas ſemper ſic expoſuit, vt vna eorum, qui aliter ſentirent, opiniones proferret, quibus argumentis vterentur, commemoraret, et cur haec ſententia ſibi verior videretur, doceret. Nunquam vero contumelioſus fuit in eos, quos a ſe diſſentire nouerat: laudauit ſaepius eorum ſcripta, atque

iuuenes, vt ſtudioſe illa legerent, adhortatus eſt: honorificam eorum mentionem fecit, et cauſas, cur non in illorum diſcederet ſententiam, tanta humanitate, tanta modeſtia expoſuit, nihil vt elegantius cogitari poſſet. Latinos et Graecos Philoſophos admiratus eſt vehementer, et ſummis ſemper laudibus extulit. Saepius hos faſſus eſt pleraque iam vidiſſe, et vſu rerum, qui Philoſophum perficeret, noſtris hominibus longe fuiſſe ſuperiores. Verſatos enim eſſe in republica, magnis muneribus functos, rebus geſtis clariſſimos. Horum vt ſcripta diligenter legerent, quotidie ſuos adhortatus eſt. Quemadmodum ab omnibus conuiciis abhorruit, ita abſtinuit ſemper ab omni obſcoenitate verborum atque iocis, quibus riſus excitaretur. Seuerus fuit, multa ſaepe monuit, quae ſibi

in

in moribus iuuenum minus probarentur, grauiterque eos ad virtutis ſtudium adhortatus eſt, ſed hanc ſeueritatem multis humanitatis condimentis mitigauit. Adſperſit enim interdum e poetis verſum aliquem, aut ex hiſtoria aptum exemplum protulit. Nulla vero hora praeteriit, quin diceret: auditores ſuos errare, ſi ſe poſt tres annos philoſophos fore putarent, quamuis omnia verba chartis ſuis illinerent, ediſcerent, et ciſtas plenas his voluminibus domum ſecum ferrent: ſe viam tantummodo monſtrare, qua ad intelligentiam rerum perueniant, et oſtendere, quomodo acuere iudicium et ad recte cogitandum conformare debeant: nullos e ſuis ſcholis philoſophos prodituros eſſe, contentum ſe eſſe, ſi prudentiores redderentur et olim, ſi plures acceſſerint anni, Philoſophi

fierent:

ſierent: non veram Philoſophiam e compendiolo diſci: requiri naturae hominum accuratam cognitionem, requiri vſum rerum, non niſi longo tempore comparandum: longe aliud eſſe *curſum Philoſophicum* bis terue audiuiſſe, aliud Philoſophum eſſe: non contemni debere, qui a nobis diſſentiant, neque conuiciis proſcindi: eſſe etiam eos viros bonos et doctos, fortaſſe te ipſum errare: legenda eſſe illorum ſcripta atque inde iudicandum: ipſos adoleſcentulos non debere de his controuerſiis decernere: retinendas has eſſe animo opiniones, et, confirmata demum aetate, vel probandas, vel reiiciendas. Denique haec tria iuuenibus in Philoſophiae ſtudio proponenda eſſe: primum vt animi tenebras diſpellant et vere ſentire de quaque re incipiant, deinde vt emendent animum,

tandem

tandem vt ſe rebus gerendis aptos reddant. Alterum eſſe maximi momenti et quod praecipue ſpectare debeant. Haec igitur aliaque horum ſimilia ſaepe *Modeſtinus* ſuis inculcauit. Quid vero effecit? primum fuerunt non pauci, qui ad ſcholam illius conuolarent, ſed, deinde hoc numero ſenſim paullatimque minuto, tandem ſolus in cathedra relictus eſt. Nullus vnquam ſe *Modeſtinianum* appellari voluit: nullam ſectam conſtituit. Vixit notus paucis iiſque optimis viris; manum conſeruit cum nullo: ipſis ephemeridum ſcriptoribus ignotus vixit. Hinc in ea ciuitate, cui bonos ciues praebere potuit, omnium rerum inops vixit et tandem fame exſtinctus eſſe dicitur.

V. MYSTE-

V.

MYSTERIA
SCRIPTORVM EPHEMERIDVM
LITTERARIARVM.

Regulae ab emerito ſcriptore miſſae amico iuueni.

Si auctor librum ſuum pulchre ligatum miſerit, ſeque tibi humanis verbis commendauerit, neque vituperato illum, neque laudato: tantummodo paucis libri argumentum explicato.

Si vna cum libro vnum florenum miſerit, ne contemnito paruam mercedem. *Noli ſpernere rem paruam, nam te ducet ad rem magnam.* Dicito: auctorem eſſe multae ſpei hominem.

Si duo miſerit florenos, copioſe, quid libro hoc contineatur, commemorato, ad-

ditis ſubinde verbis: ingenioſe coniicit, docte explicat, eleganter dicit.

Si nummum aureum miſerit, *tum vero immenſi ſpirent mendacia folles.* Copioſe argumentum libri recenſeto, et tum vnam alteramue periodum attexito: non ſine voluptate perlegimus hunc libellum: optamus, vt plures eiuſmodi libri prodeant: adhortamur auctorem, ne elegantiſſimi ſui ingenii monimenta orbi litterato inuideat: iam nota et inueterata eſt auctoris gloria, quae noſtra commendatione non eget.

Raro accidet, vt ſcriptor aliquis plures vno nummo aureo mittat. Eſt enim famelica ſcriptorum natio: pauperculi ſunt: miſero victu viuunt poetae et furfureum panem eſitant: criticorum vero ſacculus ſem-

per

per plenus eſt aranearum. Plures qui nummos mittant, erunt aut magiſtelli quidam in Academiis, qui diſſertationem ſuam primam laudari cupiant, aut ſacerdotes pagani, qui hac via ſe maius opulentiuſue munus accepturos eſſe ſperant.

Semper momento, te dictatorem perpetuum eſſe, eumque, cuius nutu omnia geri debeant in republica litteraria. Inde videto, vt ſeuere ius dicas: errat hic auctor: hic liber nobis placet: quomodo talia auctori in mentem venire potuerunt? pergat auctor in hoc opere.

Bibliopolas, tanquam maecenates, colito, praecipue tamen illos, qui libros tibi mittant, et munuſculum aliquod liberali manu addant. Hos data occaſione mulce-

bis: pulchre eſſe impreſſum librum: ex officina illius nil niſi doctum prouenire: magno ſibi illum beneficio eruditos obſtrinxiſſe. Si vero aliquem ſentias nimis parcum eſſe, aut librum tibi non miſiſſe videas, illius nullam facito mentionem, aut ſi hominem oſtendere nolis, ſero et tralatio tantum more.

Sunt multi, non nego, egregii et docti viri, qui o tempora! neque nos praecones ſuarum laudum habere cupiant, neque vituperationibus noſtris commoueantur. Inde ſe alia via ad immortalitatem nominis contendere dicunt, et ſi vel nos ſingulis menſibus eos allatremus, tacent tamen. In hos tu, quoties commode fieri poſſit, impetum facito, et quo patientius hanc contumeliam ferant, eo atrocius clamato. Hac ratione

magnam

magnam tibi conciliabis auctoritatem, et cum doctis viris multi inuideant, a multis quoque ephemerides tuae legentur.

Nulla te plures lectores allicies, quam ſi libros recenſeas, in exteris regionibus editos. Rariſſime vero hi libri in manus noſtras perueniunt. Inde comparato tibi exterorum ephemerides, atque ex iis librorum cenſuras, aliis mutatis, omiſſis aliis verbis, exſcribito. Vt maiorem tibi fidem lectores habeant, addito interdum: diligenter hunc librum legimus; accurate examinauimus omnia.

Ipſum denique librum ſi totum perlegere velis, rem ages moleſtam atque etiam tibi parum vtilem. Primum igitur perlegito praefationem, atque, quae ibi auctor de ſui

inſtituti ratione narrauerit, in tuas ephemerides transferto. Deinde indicem perluſtrato, atque ex eo alium rerum memorabilium indicem conficito. Denique feſtinanti oculo perlegito vnam alteramue plagulam, et hinc inde, quae tibi pulcherrima videantur, excerpito. Hoc ſi modo in conſarcinandis chartis tuis verſaris, facile negotio ſingulis horis duo libros recenſebis.

VI. SVP-

VI.

SVPPLEMENTVM LIBRI MORHOFIANI DE RATIONE CONSCRIBENDARVM EPISTOLARVM.

Exemplum epiſtolae, qua Maeuius librum ſuum litterariarum ephemeridum ſcriptori commendat.

Delectatus ſum ſemper, Vir celeberrime, ephemeridum tuarum lectione, in quibus non ſolum elegantiſſimam ingenii amoenitatem et ſummam in iudicando ſubtilitatem, ſed maximum etiam veritatis amorem animumque ab omni partium ſtudio liberum non ſine ſummae voluptatis ſenſu mihi animaduertiſſe videor. Etſi igitur ego, qui nunquam ſtultus mei ingenii admirator fui, facile intelligam, indignum eſſe meum libellum, cuius mentionem facias vel quem laudibus ornes, fretus tamen humanitate tua illum tibi mittere auſus ſum. Eſt ille feſtinanter a me ſcriptus, atque amicorum potius et bibliopolarum precibus mihi ſiue extortus, ſiue ſurreptus, quam a me editus, quem ſi non diſplicuiſſe viderim

derim viris doctis, proxime plures, quos iam inchoaui, in lucem proferam. Si quid in meo libello eſt, quod probari debeat, illud certe eſt, quod de Te dixi, Vir excellentiſſime. Nam et libro meo tui nominis ſplendore non exiguum ornamentum conciliaui, et, tibi meritiſſimis laudibus tributis, quantum ſtuderem honori virorum doctorum, oſtendi. Ne vero tibi moleſtior eſſet libelli lectio, atque vt tibi deditiſſimum animum meum declararem, adiunxi nummum aureum, quem vt beneuole accipias, oro. Fauebis vero ſtudiis noſtris, et Tua laude nos ad maiora excitabis. Mihi crede, efficiam, vt te tuae erga me beneuolentiae nunquam poeniteat, id quod cum re, non verbis, tibi probare cupio, tum omnem tuam ſpem officiis meis ſuperabo. Vale, vir ſumme, et me ama.

VII. VA-

VII.

VARIA.

*R*eineſii amicitiam cum *Caſp. Barthio* repente diſſolutam eſſe, ſatis notum eſt. Nihil, inquies, noui. *Barthius* Criticus fuit. Hoc vero hominum genus facilius etiam irritari poteſt, quam veſpae. Fortaſſe litterula aut ſyllaba tantae irae cauſa fuit: fortaſſe ſcripſit *Reineſius: ego lego ſic, male Barthius aliter*. Nam paucula haec verba atrociſſimum bellum accendere poſſunt. Noui, mi homo, et expertus ſum. Sed fuit alia cauſa. *Reineſius* domicilium habuit Altenburgi et *Barthius* Lipſiae vetuſtis chartis inſudauit. Accidit vero, vt *Barthius* illum viſere cuperet, pedibus Altenburgum proficiſceretur, atque diuerſorium publicum peteret. *Reineſius*, amici aduentu nunciato,

aegre ferre, illum non ſuam ſtatim domum petiiſſe atque *Barthium* iocis punire velle. Inde ad hoſpitem mittit eique nuntiat, carnificem Lipſienſem illum aduenam eſſe. Iam *Barthio* natura deforme et horridum corpus dedit. Ex ipſo vultu illum Grammaticum eſſe cognouiſſes. Facile igitur hoſpes *Reineſio* fidem habere, atque vrceum, quem *Barthio* appoſuerat, auferre. Mirari *Barthius*, ſed ſilere tamen. Mox ille vrceum ſine operculo adferre et *Barthium* limis oculis adſpicere. Hic indignari et quid hoc rei ſit? interrogare. Tum ille: tace, tace, bone vir, nouimus iam, qui ſis. Magis etiam *Barthius* mirari et ſtomachari. Hoſpes vero: dixi tibi, non ignoramus te: ſi ſapis, tacebis, aut quantocyus te hinc auferes. Tandem *Barthius* poſt multas ambages totam

rem

rem audit, et ſtatim *Reineſio* non viſo atque irarum plenus vrbe exit. Hinc illam animorum diſſenſionem ortam eſſe, narrauit beatus *Chriſtius* amico cuidam. Triſte vero exemplum et e quo diſcas, quam lepide Critici iocentur, ſi ſemel faceti eſſe cupiant.

Quoties noſtram aetatem conſidero, vereor, ne poſt quinquaginta annos Germaniae idem accidat, quod Galliae poſt tempora *Ludouici* XIV. Pauci intelligunt, quam multae et reconditae litterae ſint in *Gellerto, Ramlero, Sulzero, Leſſingio*, viro vere docto, *Vtzio*, cuius carmina diligentem Horatii lectionem redolent, et paucis aliis. Admirantur et legunt hos plurimi iuuenes, (non reprehendo, laudo potius,) ſed, riuulos conſectantes, non eos fontes adeunt, e quibus illi eruditionem ſuam hauſerunt. Legunt

homines libros vernaculo ſermone ſcriptos et negligunt Graecorum et Latinorum librorum lectionem, quo neglectu barbariae ianuas aperiunt. Praeterea multi veteres ſcriptores in noſtrum ſermonem transferuntur, atque etſi hoc inſtitutum vtile ſit, male tamen pigelli homines his verſionibus vtuntur. Et quid dicamus de his? De Herodoto *Goldhagii* iudicium meum in *Actis Erud. Lipſ.* exſtat, vbi oſtendi, auctorem nimium feſtinaſſe multoſque commiſiſſe errores. De Thucydide *Heilmanni*, viri docti et Graecarum litterarum periti, ſententiam meam in *Nouis litterar. Lipſ.* expoſui. Nihil in hac verſione multa cum diligentia elaborata deſidero praeter maiorem elegantiam ſermonis vernaculi, laeuioremque et iucundiorem verborum collocationem. *Reiskii*

orationes

orationes Thucydidis laudarem, ſi praefationem, nouam ſcribendi rationem et coniecturas ſuas, quibus ſaniſſima loca ſaepe non emendat, quod putat, ſed male corrumpit, omiſiſſet. Reliquas plebeiorum hominum verſiones non legi, etſi quaſdam bonas nobis eſſe fateor. ſed illuc redeo. Si igitur illud *Ludouici* ſeculum cum noſtro comparo, maximam inuenio ſimilitudinem. Video, quemadmodum illam, ſic etiam hanc aetatem viros doctiſſimos illuſtrare, ſed idem etiam video, poſt aliquot annos nos omnem illam elegantiam, quam nunc iactat Germania, eſſe deſideraturos mortuo inprimis illo noſtrarum litterarum vindice et ſtatore, magno *Geſnero*, cuius ſolum nomen praeclariſſimum eſt elogium. In Gallia certe, illa olim tot praeclariſſimorum virorum nu-

trice, quam pauci ſunt, qui Latine et Graece intelligant? O ſi nunc *Boilauius* ad viuos rediret! ſed credo, illum cum ſpe emendandi populares ſuos etiam voluntatem abiecturum eſſe.

Lünigius magna ſua aetate non tam Lipſiae, quam apud exteros floruit fama, quae nunc tamen prope exſtincta eſt. Et oro te, quam parum ingenii et eruditionis requiritur ad opera *Lünigiana* conſcribenda? Verum hoc quidem nolui narrare, alia res erat. Bonum virum valde ferunt ebrioſum fuiſſe, ſeque tam largiter interdum inuitaſſe, vt neque pes neque mens ſatis officium ſuum facerent. Multo Lyaeo madidus exceſſit aliquando nocte conuiuio, vt vrinam redderet. Fuit vero eodem loco ciſterna, e qua leni aliquo cum murmure aqua effluxit.

Lünigius

Lünigius audire hunc ſonitum atque a ſe illum excitari putare. Subſiſtere igitur longius, atque denique clamare et vocare. Tum aduolare conuiuae et, quid rei eſſet, interrogare. His miſerabili voce narrare, ſibi pereundum eſſe, ſe iam tantam vrinae vim reddidiſſe, atque vereri nunc, ne ſanguinem omnem omneſque corporis humores emittat. Mirari illi primum et obſtupeſcere. Mox cognita huius timoris cauſa hominem bono animo eſſe iubent et in cubiculum reducunt.

Faucheur aliquando *Ancilloni*, quaerenti, cur vnam eandemque orationem bis habuiſſet ad populum de ſuggeſtu? reſpondiſſe fertur: ſi tu tibi elegantem et venuſtam veſtem comparaueris, an ſemel tantum eam indues?

Quidam audiuerat, nulla alia re podagrae dolores tolli poſſe, quam puluere de ſuggeſtu, in quo nullum mendacium dictum fuiſſet. Inde ſacerdotem, cuius e ſuggeſtu nulla longo tempore oratio funebris habita fuerat, orauit, vt ſibi puluerem ex illo traderet.

Nunquam mihi perſuaderi patiar, *Harduinum*, virum, quod etiam aduerſarii illius fatentur, doctum, ſerio ridiculam illam opinionem protuliſſe, veterum auctorum, quae nunc habeamus, ſcripta confictа eſſe ſec. XIII. a cohorte neſcio qua, et per fraudem antiquis illis ſcriptoribus ſubiecta. Non hercle! vir doctus hoc credere, hoc ſibi perſuadere potuit. Neque placet mihi eorum opinio, qui hoc ideo *Harduinum* feciſſe

ciſſe credant, vt ſenſim omnis hiſtoriae fidem eleuaret et, velut cuniculis actis, ipſius religionis fundamenta ſubuerteret, pontificiamque doctrinam ſtabiliret. Ita etiam ſentire memini virum praeclarae eruditionis et amabilis humanitatis, *Chriſtoph. Saxium*, VItraiectinae Academiae decus, in pulcherrimis *Vindiciis Virgilii.* Sed nonne homo, minime hercle! ſtultus, facile intelligere potuit, ſe fruſtra hanc operam conſumturum inanemque ſuſcepturum eſſe laborem? Quid igitur? non alia de cauſa *Harduinum* hoc monſtrum opinionis protuliſſe, credo, quam vt eluderet homines, vt Criticorum ſtudia concitaret, vt ab aliis refutaretur atque inde largam ridendi materiam acciperet, vt nominis ſui famam augeret.

Hiſtoriola arcana de incendio bibliothecae Alexandrinae.

Incendium, quo praeſtantiſſima Alexandrina bibliotheca deleta fuit, inde eſt ortum, quoniam omnes Philoſophici libri, quorum ingens adfuit copia, in vno conclaui fuerant collocati. Hi conflictu atque tritu ſubito ignem conceperunt, qui tandem erupit, atque totas omnino aedes exſtinxiſſet, niſi libri e ſuperiori conclaui, pauimento igne concremato, in flammas delapſi fuiſſent. His enim dicunt, non aliter quam aqua infuſa, ignem omnem ſuffocatum eſſe. Fuiſſe vero dicunt hos libros poeticos, carmina heroica, verſiculos Anacreonticos, et eiuſmodi plura.

Audite,

Audite, poſteri, audite nepotes vocem hominis, qui nulla re magis delectatur, quam libertate ſentiendi dicendique, atque hac virtute iure gloriatur. Fuit ſeculum, quo Philoſophi propter crebras contentiones praeliorum ferocitate exultantes atrociſſima bella geſſerunt, et decennium quodque nouam philoſophandi rationem habuit: quo de eruditione atque ingenio hominum ex elegantia veſtis, pileolo, adulandi peritia, blanditiis, aſſentatione, multitudine pulchre ligatorum librorum iudicabatur: quo, qui, non ſine multis conuiciis, nihil profutura in medium adferrent, Critici audiuerunt: quo immortalitas nominis et eruditionis gloria ab ephemeridum ſcriptoribus exſpectabatur et petebatur: quo nemo plura poetis de contemtu diuitiarum ſcripſit,

nemo pauperior fuit, nemoque magis aureis nummis delectatus: quo pauci libri accurate et docte ſcripti, plurimi nitidis chartis nitidiſque formis impreſſi atque hi et docte et accurate ſcripti habiti ſunt: quo innumerabiles Academiae et Societates litterariae conſtitutae fuerunt, et litterarum minus etiam ſtudium fuit, quam olim, cum nullae eſſent: quo dignitas et nomen doctoris et magiſtri omnium artium omniſque eruditionis non ingenio atque diligentia, ſed aere comparatum fuit: quo nihil lubentius homines legerunt Satyris, atque, quae in aliis notata riſerunt, in ſe non agnouerunt vitia. Nunc veſtra tempora, o boni, conſiderate, et quae meliora, quae peiora ſint, vobiſcum ſtatuite.

INDEX.

INDEX.

Vtar hac opportunitate, atque errores operarum in prioribus libellis commiſſos mihique tributos a quibuſdam indicabo

In MORIBVS lege p. 22. l. 1. *Torta:* l. 4. *prodiga.* p. 33. l. 16. *illum.* p. 47. l. 3. *tonare.* p. 58. l. 18. *huc.* p. 59. l. 21. *diobolaris.* p. 65. l. 12. *obtrudant.* p. 81. l. 4. *non poſſum quin c. l.* p. 83. l. 3. *ago* pro *ego* vt etiam. l. 6. p. 91. l. 13. *hanc* pro *hunc* p. 93. l. 9. *formae.* p. 103. l. 5. *tune* pro *tunc.*

In GENIO leg. p. 12. l. 12. *terrore.* p. 13. l. 16. *exornatur.* p. 16. l. 11. *efferrentem* pro *offer.* p. 20. l. 15. *Bononiae.* p. 31. l. 13 *omnes leges et ſenat.* p. 36. l. 6. *Aude* pro *Stude.* p. 40. l. 10. *obfutura.* p. 53. l. 15. *inſitum*

inſitum pro *ipſi tum.* p. 76. l. 10. *tractus.* p. 118. l. 4. adde, ſi videtur, *et maxime ſecundus.* p. 120. l. 13. *Palmerius.* l. 14. dele *Itarauinus.* p. 121. l. 16. dele *Parrhaſius.* p. 129. l. 8. *otioque.* l. 12. *quam.* p. 136. l. 11. *Quis non dixit.* p. 149. l. 9. *in hoc* pro *hunc.*

Noui ſupereſſe errores quoſdam, ſed non vacat, nunc eos indagare. Aequi facile omni me culpa liberabunt: iniquos non curo.

ERRATA.

E R R A T A.

p. 20. l. 15. leg. *addiderint.* ib. l. 16. l. *voluerint* et *tales.* p. 21. l. 10. l. *deuoretis.* p. 30. l. 12. *properandum.* p. 32. l. 13. l. *tene.* p. 33. l. 10. l. *alius* et *iurat.* p. 49. l. 7. l. *ſtupidus* pro *ſap.* p. 50. l. 9. l. *hi* pro *hic.* p. 59. l. 9. l. *ſe* pro *re.* p. 65. l. 7. l. *memento.* p. 66. l. 6. l. *offendere.* ib. l. 7. l. *tralatitio.* p. 68. l. 8. l. *facili.*

LIBRI SEQVENTES
EX EADEM OFFICINA
PRODIERVNT.

Addiſons Anmerkungen über verſchiedene Theile Italiens. Aus dem Engliſchen überſetzt, 8.

Bilfingeri elementa phyſices, c. fig. 8.

Bouhours Art in witzigen Schriften wohl zu denken. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt, 8.

Chompré P. Selecta latini Sermonis exemplaria e ſcriptoribus probatiſſimis ad chriſtianae iuuentutis vſum excerpta. T. VI. 8.

Comédies

Comédies d'Ariſtophane trad. en françois, avec des notes critiques, et un examen de chaque pièce ſelon les regles du Theatre, par Madame Dacier, 8.

Cyrilli Adonis, 24.

Dialogues Socratiques, ou Entretiens ſur divers ſujets de morale, par Vernet, 12.

Duclos Betrachtungen über die Sitten dieſes Jahrhunderts. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt, 8.

Das Eigene der Völkerſchaften. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt, 8.

Erythraei orationes, 8.

Geſchichtstafeln, auf welchen die Geſchichte des Volks Gottes, der vier Monarchien und des Sachſenlandes nebſt der Kirchengeſchichte des N. Teſtaments, der Geſchichte der Weltweisheit, auch der vornehmſten Perſonen, Lehrern, Schriften und Merkwürdigkeiten deutlich und klärlich vorgeſtellt wird, fol.

Gifanii, Oberti, obſeruationes latinae linguae ſingulares maiorem partem emendandis auctorib. cenſentur augebat reiq.

criticae

criticae item ſubinde ſpecimina dabat, E. C. Otho, 8.

Hardions allgemeine geiſtliche und weltliche Geſchichte. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt von M. Salomon Rauiſch, 3 Theile, 8.

Ioannis Secundi opera, 12.

Käſtners vermiſchte Schriften, 8.

Klotzii Mores eruditorum, 8.

— — Genius ſeculi, 8.

— — Opuſcula poetica, 8.

Der unſichtbare Kundſchafter. Aus dem Engliſchen überſetzt, 8.

Lamy Kunſt zu reden. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt, 8.

Lock vom menſchlichen Verſtande. Aus dem Engliſchen überſetzt und mit Anmerkungen verſehen von Poley, 4.

Monteſquiou Werk von den Geſetzen. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt, 8.

Platneri Lanx Satura, 8.

Popens Menſch, ein philoſophiſches Gedichte. Deutſche Ueberſetzung, mit der engliſchen Urſchrift, 4.

L. Annaei

L. Annaei Senecae et P. Syri Mimi forſan etiam aliorum Sententiae ad Gruterianam editionem cum Antonii Mureti inſtitutione puerili in vſum Gymnaſii Fridericiani recuſae, 8.

Somnium, in quo praeter caetera Genius ſeculi cum Moribus eruditorum vapulat, 8.

Verſuch von dem Schönen, da man unterſuchet, worinnen eigentlich das Schöne in der Naturlehre, in der Sittenlehre, in den Arten Witzes und in der Muſik beſtehe. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt von Baron, 8.

Zachariæ, Schöpfung der Hölle, nebſt einigen andern Gedichten, 4.